

non debeas, nequando liberis proscriptorum bona patria reddantur. Sic in Pisonem n. 56. probat Cicero nihil habere Pisonem, quod tibi patrata à se scelera excuset, nisi se cupidum fuisse triumphum, quod negabat, fateatur.

Et Oratiōe 2. in Rullum num. 74. deterret Populum Rom. ab agro Campano dividendo, exponendo finem, quo Decemviri ad vendendum movebantur. *Non obscure regnum constituitur, non obscure libertas vestra tollitur; nam cum iidem totam Italiam suis opibus obsidebunt, iidem libertatem vestram suis praesidiis & coloniis interclusam tenebunt, &c.*

## EXERCITATIO.

*Innocentii IV. Summi Pontificis ad B. Ludovicum Galliarum Regem Oratio, cum is ad Hierosolymitanam Expeditionem proficisceretur.*

Locus à Causis.

## SYNOPSIS.

*Exord.* A Causa efficiente felicem appellabit Ludovicum, qui consilii ejusmodi habeat auctorem Deum; removebitque alias causas, puta ambitionem, dilatandi Imperii desiderium; gratulabitur etiam operis sociis ac comitibus.

2. Horrabitur ipsos à Causa Materiali ne deterreantur his laboribus, quos in expeditione illa ferendos habuerint, majorem inde gloriae segetem habituri.

3. A Causa Formali dicet, tanto illustriorem fore ipsorum triumphum, si regionem illam occupaverint, quanto terra illa praestat ceteris; terram illam esse, quam Christus suis laboribus suoque adeo sanguine nobilitavit: indignum quid esse terram illam à Barbaris possideri.

*Conclusio*, fiet à Causa Finali, ostendetque quantam eo facinore gloriam Deo paraturi sint, quantam Christianorum genti laetitiam, quibus victoria sua adiuta in loca sancta aperta sunt; quantum

sibi ipsis decus: jubebitque ipsos hac spe sustentare se se.

## ORATIO.

Felicem te, fortunatumque, Princeps Religiosissime, qui Deo duce atque auspice, dignum animo, dignum imperii majestate, dignum Rege Christianissimo facinus aggredieris. Nam quid aliud praeter incredibile divinae gloriae studium, quo flagras, tibi mentem illam inspiret, ut compositis feliciter domi forisque rebus, & parta latissimi regni tranquillitate, tam durum tamque laboriosum expeditionis genus suscipias; & avulsus medio regni de sinu, fidelibus populis ereptus, peregrinas procul in oras viam petentes; ut certam apud tuos gloriam spei dubiae & ancipiti, gloriosae pacis ortum, novis bellorum tumultibus, regales aulae delicias, longiviarum obsidionumque defatigationibus postponas? Non te, quae ceteros heroes extimulare & accendere solent, vel impetens ambitio, vel comparanda gloriae cupiditas, vel dilatandi imperii spes & expectatio incitarunt. Totum hoc sibi Deus vindicat, quodcumque apud barbaros quaeris; tu promovenda ipsius gloriae, propagandis ulterius ipsius regni finibus adlaboras. Et vos, quos tanti operis socios atque adjuutores sibi Ludovicus adscivit, estimate, ut par est, conditionis vestrae dignitatem, & honorificum sapientissimi Regis judicium factis confirmare.

Neque enim difficultatibus ac periculis vacat consilium illud quod suscipitis, neque ad facilem vel certam gloriae segetem advolatis. Nostis varios & ancipites armorum exitus, & vestrae martis in laboribus virtus jam diu exercitata fortis cujuscumque discrimen pati didicit. At non

A Causa Efficiente.

A Causa Materiali.

dum experti estis, quid sit pugnare cum barbaris, & quanta vos ignotis in regionibus pericula maneant; quot parta laboribus, quam multo redimenda sanguine sit illa victoria, quam animo praecipitis. Sed quid ego hic vel periculorum magnitudinem, vel difficultatem operis, vel laborum multitudinem extollam, unde tanto major gloriae vestrae meritumque vestrorum seges exurgit? non illa caduca vel fragilis, non inanis aut peritura, qualem plerique mortalium ambiunt, sed vera, sed certa, sed incorrupta, & nullis unquam temporum spatiis conscribenda.

Nam quis unquam triumphus, quae victoria tantam olim peperit priscis heroibus gloriam, quantam regiones illae, quas paratis armis vestris subjicere, vobis offerunt? Mementote, quaeso, quam uberem illa palmarum segetem, quam fecundam laurorum sylvam tellus ostendet, quam Christus ipse dignam suis laboribus inter ceteras judicavit. Haec ipsa terra est, quam delapsus è pulcherrimo caeli domicilio sibi ad habitandum elegit, quam impressit vestigiis, peregrinationibus decoravit, tinxit sudoribus, illustravit miraculis & totius effusione sanguinis purpuravit. Et hanc sibi terram tot ab hinc annis barbari vindicent; scdissimis demonum religionibus polluant, infami lucro mancipent, & sanctissimae Religionis nostrae spoliis divites nobis audeant insultare? Excitetur ad tanti dedecoris memoriam Christianorum heroum fortitudo, incendatur studium, pietas inflammetur. Videte, quaeso, ne, cum nullus in toto terrarum orbe locus sit sanctior, nullus cultu vestro dignior, nullus meliori jure vobis mancipatus, tanto tolerandum minus videri debeat, hereditatem tam sanctam, tam verendam

Le Jay, Tom. I.

dam, tam expetendam ab impiis hominibus occupari. Ite igitur alacres, perficite fortiter, quod tam viriliter inchoastis.

Quod si difficultates itinerum, rerum angustiae, laborum asperitas, gravioris belli fastidia constantiam vestram pertentabunt, & incredibilem illum, quo jam succensi estis, ardorem videbuntur temperare; spes illa, quam vobis ipsi proposuistis, vos sustentet, & praecleari facinoris, cui navaris operam, conscientia consoletur. Veniat frequenter vobis in mentem, quod Religioni ipsique Deo militatis; quod universae Christianorum genti tutum ac facilem in illas terras aperitis aditum, in quibus sanctissima salutis nostrae mysteria patrata sunt; quod vobismet ipsi intermoriturum nunquam apud posteros decus, & coronam in caelo quovis pretio redimendam comparatis.

A Causa Finali.

## ALIA EXERCITATIO.

A Causis.

*Adhortatio ad Mortales, ut abjecto rerum terrenarum amore, ad sectanda caelestis patriae bona contendant.*

## SYNOPSIS.

*Exord.* Deplorabit Orator sortem hominum, qui nati perfruendis terrenis bonis, rebus perituris adhærescunt. *Proposio.* Horrabitur ipsos, ut posito fucatae beatitudinis amore, ad felicitatem veram adspirent.

*Confirmatio.* Ostendet à Causis caelestis patriae premium. Et 1. à Causa Efficiente, hoc est à Deo ipso, qui caelestem patriam suis ipse manibus condidit, comparabitque illam cum ceteris rebus, quae admirationem & ambitionem hominum stimulant; puta palatiorum magnificentiam, hortorum amoenitatem, argenti aurique splendorem, lucem gemmarum; dicetque Deum luisse quodammodo reliquis in re-

M 3 bus;

bus; ac suam in ædificanda cœlesti patria industriam exhaustisse.

2. A *Causa Materiali*, Quæret à Mortalibus, quæ tandem maximo in pretio habeant; an aurum? an argentum? an lapides pretiosos? diceretque Cœlum auro stratum esse, muros ex margaritis constatos, portas totidem esse pretiosissimos lapides, &c. qualis describitur in Apocalypsi B. Joannis sancta civitas.

3. A *Causa Formali*: Dicitur loci illius pulchritudinem exurgere ex ipsa Dei majestate, quæ cœlestem regionem ornat; ex Christi præsentia qui solis instar Cœlum collostrabit. Hinc fore ut his rebus perfruentes nunquam fatentur, sed novo semper easdem videndi & possidendi desiderio accendantur.

4. A *Causa Finali*: condita est cœlestis patria, ut esset merces rerum pie sanctæque gestarum. Jubebit ergo homines pensare labores Sanctorum, vigiliis, cruciatibus, &c. Christi ipsius meritorum magnitudinem, quæ Deus, ut compensaret, videtur exhaustisse suas opes, ut Cœlum ornaret.

Concludet; & erit aliquis tam fastidiosus cœlestis patriæ contemptor, qui, &c.

### ORATIO.

Cum altissimis mortalium animis sic insitus est à natura veræ ac sinceræ beatitudinis amor, ut in ea vel possidenda vel saltem consecranda expleri penitus ac satiari nequeant; tum certè quis non mirabitur in persequendis fragilibus caducisque rebus plerosque hominum tam esse pertinaces, ut solidis & nunquam perituris carere bonis facile posse videantur.

A *Causa Efficiente.*

Nam quis vos error, mortales miseri, quis demens furor obcecet? quò fucate larva beatitudinis insanos rapit? Tannumne vobis infelix placet exsilium? sic perpetuæ mortis habitaculum delectat æternitati destinatos? Respiciete enim vosmetipsos; intelligite tandem aliquando conditionis vestræ nobilitatem, & dignos naturæ vestræ excellentia sensus inquite. Cogitastis unquam cœlestis

illius regionis, quæ nostris capitibus imminet, eximiam pulchritudinem, magnitudinem immensam, splendorem admirabilem? Hic scilicet beatum pacis ac quietis domicilium vos expectat. In hac regione fortunatissima elaborata ipsis omnipotentis Dei manibus jucundissima felicitis ævi domus vobis præparatur. Ah! si vos tantoperè delectat accipit regalis palatiorum magnificentia, amœnissima ruris varietas, hortorum delicia; si perstringit oculos argenti nitor ac splendor auti, si gemmarum fulgor, lux syderum, firmamenti majestas in admirationem rapit: cogitate præstantius aliquid ac magnificentius in hac cœlesti patria, quæ hominum geneti perfructura destinatur. Scilicet in rebus universis, quæ sub aspectum cadunt, aut condendis aut exornandis lusisse quodammodo divini numinis potentia visa est; at in extruendo exornandoque cœlestis gloriæ domicilio operam ita suam atque magnificentiam collocavit, ut opes exhaustisse suas, & vim industriæ adhibuisse omnem videri voluerit.

Qualem enim verò putatis esse augustissimi illius palatii apparatus, quod ex pretiosissimis quibusque rebus conflatum est? Agite, vosmetipsi mortales, quid vobis videtur in bonis creatis pretiosissimum? quid inter cætera aut admirationem concitat, aut cupiditatem vestram incendit? an argentea supellex, & aurea? an adamantini lapides perstringunt oculos, & suis vos illecebris pertentant? bene est; erit unde cupiditatis vestræ satiatur sitis: nihil erit ultra quod expectandum vobis relinquatur; dabitur vobis aliquando, si vultis, in eam civitatem ingredi quæ purissimo strata sit auro, cujus muri intexti gemmis & margaritis colliceant, quam portæ totidem pretiosi

A *Causa Materiali.*

tiosi lapides exornent, quæ nativa quadam & nunquam obscuranda luce collustratur.

A *Causa Formali.*

Sed quid hic aurum, quid gemmas, quid pretiosos lapides appello, quasi suam ab ejusmodi rebus pulchritudinem totam admirabilis ille locus mutuetur? Altius, mihi credite, cœlestis patriæ magnificentia petenda est. Ipsa est Dei omnipotentis majestas, quæ suum cœlo pretium facit; quæ domum illam exornat; eumque rebus omnibus, quæ vel fingi vel cogitari possunt, exhibet multo magis expetendam: hanc sui ipse præsentia Christus illustrat, & splendidissimi solis instar novam illi lucem impertit. Quid porro de Virgine sanctissima, quid de variis cœlestium Spirituum ordinibus, quid de innumero beatarum mentium comitatu loquar, quæ de sua omnes gloria ad decorandam regionem illam fortunatissimam conferunt? Nihil ego jam mirer, si purissimæ cujusdam voluptatis torrentibus, & incredibilem deliciarum ubertate cœlestis patria designetur: si, quicumque illam affecti sunt, ea sic perfruantur, ut novo semper ejusdem potiundæ incenduntur desiderio; si satietas illic sine nausea, diuturnitas sine fastidio futura sit.

A *Causa Finali.*

Hanc tamen tantam bonorum omnium copiam ac suavitatem ad cumulandam cœlestis patriæ magnificentiam confluisse qui mirabitur; reperet ille secum, quòd illa piorum hominum remunerandis laboribus destinata sit. Deus scilicet, qui in perferendis cæteris naturæ operibus tam liberalis, tam munificus, tam prodigus extitit, nihil ut immortales divinæ potentie divitias non loquatur, parcus in benefaciendo, in remunerando parum magnificus videatur? Etenim bonorum illorum copiam atque affluentiam, quibus hæc

terrarum universitas abundat, ex æquo probis atque improbis reliquit ad arbitrium: potentior sæpe, qui peior, ditior, qui rapacior, felicior qui sceleratior est. Communis hæc nobis rerum abundantia cum bestiis etiam, cum impiis potiunda permittitur: aliam ergo suis possessionem, opulentioram illam melioremque seposuit. Si tamen hæc publica, hæc vulgaria & in communi posita tot habent illecebras, tot deliciis perfusa sunt; quid de speciali ac prerogativa felicitate sperandum videbatur? si tanta indulget alienis, peregrinis & hostibus; quid amicis, quid heredibus, quid filiis erat expectandum, qui virtutum studio, qui divinæ legi constanter adhæsisset; qui labores innumeros, vigiliis, solitudines, flagella, mille dolorum ac mortis species ipsius causa pertulissent? qui Christi ipsius merita, cruciatibus, supplicia, necem acerbissimam suis ipsorum in meritis computarent?

Erigite igitur animos, Mortales, non jam miseri, sed fortunati, quos tanta beatitudinis æternæ magnitudo respicit. Dilatate vestri pectoris angustias; frena cupiditati laxate; optate, appetite, adspirate ad illa bona, quibus in perfrueendis animus sic acquiescat, ut neque ea conservandi anxietate torqueatur, neque eadem amittendi metu.

### CAPUT XI.

#### Locus ab Effectis.

Quid sunt Effecta?

R. Sunt ea, quæ sunt orta de Causis. Unde sequitur tam multa illa esse, tam varia, quàm varis multiplicisque sunt Causæ. Imò quia notiora sunt Effecta quàm Causæ, ideo

multo frequentiore apud Oratores usum habent.

Effectus, qui respondet Causæ materiali, is est qui prodit ex materia: Ita statua dicitur Effectus respectu æris aut ligni, quia ex ære vel ex ligno fit.

Effectus, qui respondet Causæ formali, est ipsa actio, quæ procedit à forma, sic formalis animæ immortalis effectus est, facere hominem immortalem.

Effectus Causæ finalis est, quodcumque suscipitur ad finem consequendum. Ita labores, vigiliae, virtutum exercitatio sunt effectus finalis beatitudinis; quia hæc omnia ad eandem beatitudinem consequendam adhibentur.

Denique effectus Causæ efficientis est id quod ab illa efficitur, ut imago à Pictore.

Quomodo ducitur argumentum ab Effectis?

R. Si ex affirmatione Effecti Causa affirmetur. v. g. Fumus est; igitur Ignis aut est, aut fuit. Vel si ex negatione Effecti à Causa necessaria provenientis negatio causæ elicitur. v. g. Nullus est calor, ergo nullus ignis.

Quomodo tractandus hic Locus?

R. 1. Per Congeriem, Ita Cicero lib. de senectute numeris 40. & 41. à nobis supra jam laudatis in capite de Causis, funestissimos voluptatis effectus recenset. Hinc patriæ prodiiiones, &c.

Et pro Muræna num. 22. commendat militarem virtutem ab Effectis per Congeriem. Hæc nomen populo Rom. hæc huic urbi aternam gloriam peperit. Hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit. Omnes urbana res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus & industria latent in tutela ac presidio bellica virtutis: simul atque in-

crepuit suspicio tumultus, artes illi- ca nostra conticescunt.

Sic paulò ante eodem numero probaverat virtutem militarem plus præfidii attulisse Murænae ad Consulatum adipiscendum quam Jurisprudencia Sulpitio contulisset. *Vigilans tu de nocte ut tuis consultoribus respondeas, ille ut eò, quò intendit, mature cum exercitu perveniat: te Gallorum, illum buccinarum cantus excuscat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu cades ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet & fit ut hostium copia, tu ut aque pluvia arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ita pariter Eloquentiæ dignitatem, jucunditatem ac necessitatem ab Effectis commendat per Congeriem lib. 1. de Oratore n. 30. 31. 32. *Neque verò mihi quidquam præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cæsus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus præcipue semper floruit semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitum atque auditum, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio ac perpolita? aut tam potens tamque magnificentum, quam populi motus, Judicium religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma quibus*

quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel se ulcisci lacessitus?

Et Philip. 5. num. 24. & 25. Antonium Annibali comparat, eumque dicit tam perniciosum Italiæ exitisse. *Post autem neque solemnibus sacrificiis factis, neque votis nunciatis non profectus est, sed profugit paludatus. At quò? in provinciam firmissimorum ac fortissimorum civium; qui illum, ne si ita quidem venisset, ut bellum inferret, ferro potuissent; impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit provincia Gallia; circumfedit Mutinam firmissimam & splendidissimam populi Rom. coloniam; oppugnat D. Brutum Imperatorem Consulem designatum, civem non sibi, sed nobis & Reip. natum. Ergo Annibal hostis, civis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic non fecerit, aut faciat, aut non molietur & cogitet? Totum iter Antonii quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cades, rapinas? Quas non faciebat Annibal, quia multa ad usum suum reservabat, &c.*

Item Phil. 2. n. 67. Antonii Intemperantiam per congeriem ab Effectis describit. *Qua Charybdis tam vorax, &c.*

Et in Pisonem n. 26. probat ab Effectis eum non fuisse Consulem. *An tu eras Consul? &c.* Et pro Arch. n. 16. *Hæc studia Adolescentiam alunt, &c.*

2. Tractatur Locus ab Effectis per Conversionem. Ita Cicero Phil. 2. n. 55. Malorum omnium, quæ Italiæ acciderant, Auctorem facit Antonium. *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius.*

*Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus Ordinis afflictæ est? afflixit Antonius.*

3. Per Complexionem. Exemplum esto Locus hic lib. 4. ad Heren. num. 18. *Qui sunt qui fœderarunt? Carthaginienses. Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginienses.*

Quis est usus illius Locis?

R. Valet plurimum in descriptionibus, in amplificationibus, in motibus excitandis.

Exemplum habes pro Cluentio num. 32. *Memoria teneo Milesiam quandam mulierem, cum essem in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia partum sibi ipsa medicaminibus abegisset, rei capitalis esse damnatam: neque injuria: quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familie, designatum Reip. civem sustulisset.*

Valet etiam in suadendo & in laudando. Sit illud exemplum ex Oratione pro Plancio num. 26. *An Minturnenses coloni, quod C. Marium ex civili errore atque ex impiis manibus eriperunt, quod tecto receperunt, quod fessum inedia fluctibusque recrearunt, quod viaticum congesserunt, quod navigium dederunt, quod eum linquentem terram eam, quam servaverat, lacrymis votisque omnibus prosecuti sunt, aterna in laude versantur. Plancio, quod me vel vimpulum, vel ratione cedentem temporis, receperit, juverit, custodierit, his & Senatui populoque Rom. ut haberent quod reducerent, conservavit; honori hanc fidem, misericordiam, virtutem fuisse miraris?*

Valet pariter hic Locus in vituperando. Habes exemplum in Pisonem

nem n. 18. Edicere est ausus, cum illo suo pari, quem tamen omnibus virtutibus superare cupiebat, ut Senatus, contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret. Quis hoc fecit ullus in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? mororem relinquit, mororis aufers insignita? eripis lacrymas, non consolando sed minando, &c.

## E X E R C I T A T I O .

*Eloquentia commendatio.*

Locus ab Effectis.

## S Y N O P S I S .

*Exord.* Dicit Orator duabus potissimum rebus moveri hominum animos, gloria scilicet & utilitate.

*Proposio.* Dicit suam hinc Eloquentiae commendationem ac pretium contingere, quod gloriam & utilitatem pariat.

Confirmationis prima pars probabitur ab Effectis; demonstrabitque per congeriem, quam gloriosum sit Eloquentiae inclinare posse voluntates hominum, quocumque velit, regere animos, ferre opem laborantibus, liberare periculis, &c. id ipsum ostendet exemplo Demosthenis ac Ciceronis; qui dicendo consecuti sunt, ut alter Athenis, alter Romae dominaretur?

Secunda pars ab Effectis probabitur, Eloquentiae scilicet utilitas, dicetque plus illam ad incolumitatem salutemque publicam contulisse; armata manu; quod probabit cum exemplo Demosthenis, qui prosperas Philippi res infregit, tum Ciceronis, qui Catilinam impetum coercuit. Id tractabit per Interrogationem, Repetitionem, Complexionem.

Denique ostendet quantam eadem Eloquentia gloriam & utilitatem attulerit iis, qui ea laude praestiterunt; quod conficiet ab Effectis recensendo honores, quos homines novi adepti sunt Eloquentiae beneficio.

Concludet hortando Candidatos, ut assequi contendant Eloquentiae laudem; quae & ipsis & patriae tantum gloriae & utilitatis afferre possit.

## O R A T I O .

Cum ea mortalium omnium, quantum est qui vivunt, necessaria quadam conditio est, ut alii gloriae studio, alii propriae utilitatis expectatione moveantur; tum, si quid erit huiusmodi, quod gloriosum pariter atque utile videri possit, id certe singularem ac praecipuam in humanis rebus commendationem habere necesse est.

Atque hinc facile quivis intelligat, quantam apud hominum animos laudem, quam non vulgare pretium sibi Eloquentia vindicet, cuius illa gemina, veluti propria atque innata sit, ut incredibilem gloriam cum summa utilitate conjungat.

Age enim verò, quid gloriosum magis & ad stimulamdam ingenitae laudis ambitionem potentius, quam dominari ubique dicendo posse; nihil ut tam sit arduum ac difficile, quod Eloquentia non vincas ac superes? Nam ubi tandem Eloquentia imperium non exercet suum? ubi singularis illius, quod habeat ad permovendos animos, roboris vestigium non deprehendas. Dominatur in foro & Judicum religiones Senatufque auctoritatem sic regit, ut mentes vel ad iram, vel ad odium, vel ad dolorem incitet, si velit, aut ab hisce permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocet. Dominatur in civitate populi que motibus ita moderatur; ut vel errantes ab errore deducat, vel excitet languentes, vel effrenatos ac furentes compescat ac mitiget. Dominatur in castris, coeque militum animis stimulos acuit, ut, qui armis vicerint, eos saepe vincendos prius Eloquentia Imperator habuerit. Jam verò quid tam magnificentum ac regium, quam ferre opem supplicibus, amicorum periculis ad-

Ab Effectis per Congeriem.

esse, revocare perditos, jacentes erigere, affictos consolari, tueri innocentes ab improborum injuria, novis denique singulos in dies beneficiis honorum omnium gratiam ac benevolentiam promereri? Hac ipsa fretos facundia legimus duo Eloquentiae lumina Demosthenem ac Ciceronem, alterum Athenis, Romae alterum tantam sibi apud omnes auctoritatem conciliasse, ut civium regerent animos, & quaecumque vellent in partem, voluntates inclinarent.

Quod si tam gloriosum est existere in conferta multitudinis unum aliquem, qui in mentes hominum singulare quoddam imperium exercet; quantam id ipsum utilitatem affert bene moratis civitatibus, cum ad tuendam populorum gloriam, tum ad earum incolumitatem salutemque conservandam? Est enim hoc plerumque in Oratore diserto praesidium, quod vis armata non sufficiat. Testis est laudatus jam à me divinus ille Demosthenes, qui sola linguae facundia perfecit, ut prosperas Philippi res infringeret. Indormiscbant omnes utilitati publicae; nemo conferre quidquam ad belli sumptus, nemo arma sumere, nemo subire fortunae periclitantis aleam sustinebat; adeo rerum suarum gloria omnium animos Macedonum rex perculerat! Adfuit Demosthenes qui civium somnolentiam argueret, increparet ignaviam, & resides jam dudum animos ad magna quaeque intenderet. Testis & ipse Romanae linguae gloria Marcus Cicero, cujus facundia multo plus ad salutem imperii ac tutelam contulit, quam fortissimi Imperatores profuissent. Nam quis Romam illam gentium omnium dominam, cum in ruinam suam praecipua rueret, ab interitu vindicavit? Quis nefarias improborum civium machina-

iones retexit? quis contudit impetus? quis merum incussit? quis eripuit arma furentium de manibus? quis urbem ab incendio, cives ab internecione, Italiam totam ab exitio revocavit, nisi una Marci Tullii Eloquentia quocumque praesidio potentior atque efficacior?

Verum si tantam ex eruditis doctorum virorum laboribus gloriam cum tanta utilitate conjunctam compararunt civitates illae, apud quas isthaec Eloquentiae lumina resulserunt; non habuerunt vicissim Oratores illi praestantissimi, quod de patria quererentur, aut minus vel emolumenti vel gloriae ab eadem percepisse se exposcularent. Nam quibus tandem non nituere conspicui honoribus? aut quod tam excelsum dignitatis fastigium est, cujus facti compotes non fuerint? Vidimus homines novos, nulla majorum gloria, nullo generis splendore spectatos, iis defunctos fuisse magistratibus unius Eloquentiae praesidio, quibus nobilissimi quique viri excluderentur: vidimus eam adeptos fuisse in opinione hominum famam, ut quot eorum dicta, tot effata, quot verba, tot decreta, quot responsa, tot oracula haberentur.

Et erit quisquam tam parum cupidus patriae laudis aut suae, tam negligens vel publicis vel privatis in rebus, ut facilem rei utriusque colligendae viam, si possit, ingredi relinquat? Vos haec potissimum spectat oratio, quotquot capessendae Eloquentiae navatis operam; haec vobis proponitur digna laboribus vestris merces atque compensatio: hi stimuli teneris adhuc ac recentibus animis adjiciuntur; ut si quam afferret moram asperioris studii diuturnitas, tam gloriosae mercedis expectatio novum ad superandos obices quoscumque robor, novos animos sufficiat.

Ab Effectis per Repetitionem.

## ALIA EXERCITATIO.

*Laudabitur Institutum illud, quo laboriosa Juventuti premia proponuntur.*

Locus ab Effectis.

## SYNOPSIS.

*Exord. & Prop.* D Uetur à commendatione eorum qui laboriosa Juventuti premia proposuerunt.

*Confirmatio.* Ab Effectis, & 1. per Congeriem quæret quid sit constitutum utilius, quàm quod ingenium acuit, diligentiam stimulat, studiorum molestias, scientiarum asperitates lenit ac mitigat.

2. Per Complexionem dicit hunc fuisse Institutionis illius effectum, ut tot olim Athenis, tot Romæ, tot hodie apud nos in liberalibus artibus excellant.

3. Per Distributionem ostendet nullam esse qui mercedis expectatione non stimuletur; nobiles æquè ac ignobiles, ingeniosi pariter atque hebetes, strenui ac fœcundes accenduntur.

*Conclusio.* Continebit Regis Christianissimi præconium, cujus munificentiæ perpetua sit, ut nunquam Partheni in Collegio laboriosa Juventuti premia defutura sint.

## ORATIO.

Cùm multa sunt in omni Republica ad Juventutem instituendam inventa feliciter ac sapienter constituta; tum nihil præclarius, quàm quod stimulantæ juvenum industriæ proposita præmia esse voluerunt; ut insitam singulorum animis educationis bonæ fementem mercedis expectatio promoveret.

*Ab Effectis per Congeriem.*

Quid enim poterat ad excollandam sedulo Juventutem potentius excogitari, vel fanciri efficacius, quàm illud, quod ingenii aciem acuit, vim ejusdem promovet, diligentiam excitat, fugat fœcortiam, accendit æmulationem, laborum fastidiis occurrat, studiorum molestias

mitigat, scientiarum asperitates emollit, & quidquid in assidua corporis atque animi contentione durum ac molestum est, nescio qua suavitate aspergit & condit.

Miramur inter breves Athenarum angustias tot prodisse ingenii doctrinæque lumina, tot ornamenta liberalium artium, tot in unaquaque disciplina illustra perfectissimæ cujusdam absolutionis exempla extitisse; totum hoc, quodcumque est, protulit, ornavit ac perfecit mercedis expectatio. Miramur incensos nobili quadam æmulatione Romanos instituisse Græcorum vestigiis, pari contentione animi ad capefendos studiorum labores accessisse; Atheniensium industriam, eruditionem & summum singulis in rebus laudis cumulum Romam aut æquasse, aut etiam superasse? tam laudabile æmulationis studium excitavit, fovit, incendit mercedis expectatio. Miramur etiam florere apud nos hodie in omni doctrinarum genere præstantes viros, qui nec ingenio, nec eruditione, nec dicendi scribendique gloria veteribus Græcis aut Romanis cedant; hanc & nostris temporibus conciliat laudem ac gloriam mercedis expectatio.

Nam quis est tam æmulationis expertus, tam aversus à Musis, tam parum veræ germanæque laudis studiosus, quem proposita industriæ atque eruditioni præmia non commoveant; & ad superandas studiorum asperitates non sustentent? Scilicet hæc comparandis laboribus parata merces sic nobilibus & natis ad magna quæque viris novos addit animos, ut tennes atque abjectos aculeis pungere non desinat; sic ingeniosos extimulat, ut hebetes ac plumbeos otiosi non patiantur; sic strenuis ac sedulis incitamenta sufficit, ut ignavos & inertes ad excutiendam recordiam invitet.

Lau-

*Ab Effectis per Complexionem.*

*Ab Effectis per Distributionem.*

Laudentur igitur homines illi Literarii ludi moderatores, qui tam ingens, tam potens ad incitandam Juventutis solertiam momentum addidere. At quantas, quàm immortales gratias Ludovico Magno habebimus, cujus liberali munificentiæ factum est, ut in florentissimo totius orbis lyceò, nunquam sua laboriosa Juventuti præmia defutura sint. Celebretur enim vero tam benefici Principis gloriosum nomen, & quando florebunt liberales Artes, nulla posteritas de laudibus ejusdem conticescat.

## CAPUT XII.

Locus à Comparatione.

Quid est Comparatio?

R. Est duarum vel plurium rerum inter se collatio.

Quotuplex est Comparationis generus?

R. Triplex. Primum. Majoris cum Minore. Alterum Minoris cum Majore. Tertium Paris cum Pari. Res enim, inter quas instituitur Comparatio, vel majores sunt, hoc est verisimiliores, & quibus id, de quo agitur, priori jure conveniat. Vel minores, id est minus verisimiles, quibus non æque res aliqua conveniat, ac ei cum qua conferuntur. Vel æquales in gradu veritatis, ut utris res potius conveniat, illis ne qua conferuntur, an illis quibus conferuntur, non satis intelligas.

Quomodo sit argumentum à Majori ad minus?

R. Quando minus probabile concluditur ex magis probabili, v. g. Cætoni licuit sequi bellum civile, ergo licet & Ciceroni.

Cicero pro Domo sua n. 108. Probat Deos immortales domum suam non concupiisse, quòd ne homines quidem sceleratissimi, quos illam concupiisse æquus erat, illam expetiverint.

*Civis est nemo in tanto populo extra contaminatam illam & cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit. At qui aliqua se contagione præda, societatis, emptionis contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii penam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium judicio sceleratissimus haberetur, Dii immortales domum meam concupiverunt?*

Sic & pro Rosc. Amerino probat nihil esse mi um quòd Sylla omnia animadvertere non potuerit, cum ne ipse Jupiter id possit num. 131. *Quid miramur L. Syllam; cum solus Rempub. gereret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majestatem? quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse, nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit.*

Et Divinat. in Verrem num. 40. ita disputat contra Cæcilium. *Quod si ego hæc propter magnitudinem rerum ac difficultatem assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi, quàm longè tu te ab iis rebus abesse arbitrare, quas non modo antea non cogitasti, sed ne quidem, cum in eas ingrederis, que & quanta sint, suspicari potes.*

Pro Murenæ vero n. 9. probat elegantia & plena assentationis allegoria non potuisse se à defendendo Murenæ temperare. *Arque hujusce rei de tuo ipsius studio conjecturam, Servius.*

vi.

*ut, facillimè ceperis. Nam si tibi necesse putas etiam adversariis amicorum tuorum de jure consulentibus respondere; & si turpe existimas, te advocato, illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere; noli tam esse injustus, ut cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos, etiam amicis putes clausos esse oportere.*

Pro Milone probat longa amplificatione non esse habendam novo more de P. Clodii morte quaestionem, cum non esset id antea factum in nece clarissimorum virorum à num. 16. ad 22.

Pro Sylla n. 21. confutat à Majori ad Minus quod Torquatus dixerat, se regnum Ciceronis ferre non posse. *Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei, in quo ego imperavi nihil; sed contra Patribus Conscriptis & bonis omnibus parvi; quo in magistratu non institutum est à me regnum, sed non permissum. Quem tum in tanto imperio, tanta potestate non dicis fuisse Regem, nunc privatum regnare dicis; quo tandem nomine?*

Pro Plancio numer. 78. probat agendas sibi fuisse Plancio gratias, à quo defensus fuisset, si quidem id Populus Rom. Publico decreto fecisset.

Quomodo ducitur argumentum à Minori ad Majus?

R. Quando magis probabile seu magis verisimile ex minus probabili seu minus verisimili concluditur. Cujus argumenti vis ea est, si quod minus probabile est, nihilominus verum est, ergo & quod erit magis probabile, verum erit existimandum; v. g. si duabus legionibus vinci potuit hostilis exercitus, certè poterit idem à quatuor superari; si Martyres pro Christi causa vitam effuderunt, nos pro eodem

levem contumeliam ferre detrectabimus?

Actione 2. in Verrem n. 28. à Minori ad Majus Cicero argumentatur. *Quid est, queso, Metelle, iudicium corrumpere, si hoc non est? Testes praesertim Siculos, timidos homines & afflictos non solum auctoritate deterrere, sed etiam Consulari metu & duorum Praetorum potestate? Quid faceres pro homine innocente & propinquo, cum propter hominem perditissimum atque alienissimum de officio ac dignitate decedis?*

Pro Lege Manilia n. 11. Populum Rom. Tullius hortatur à Minori ad Majus ad tuendam Imperii dignitatem. *Majores vestri saepe Mercatoribus ac Naviculariis injuriosius tractatis bella gesserunt; vos tot Civium Rom. millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum Patres vestri totius Graeciae lumen extintum esse voluerunt, vos eum Regem inultum esse patiemini, qui legatum Populi Rom. Consularem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi Civium Rom. libertatem imminutam non tulerunt; vos vitam creptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos Legatum Populi Rom. omni supplicio interfectum inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri ac conservare non posse.*

Eodem argumento utitur Orat. post reditum; in Senatu n. 2. probatque tanto majus esse Populi Rom. beneficium; per quem omnia bona recepisset, quanto singula cariora sibi extitissent.

Et Oratione pro Caelio n. 54. à Minore ad Majus auctoritatem ex-

agge-

aggerat Luceji cujusdam, qua abuterentur adversarii in Caelium. *Habeo, Judices, quem vos socium vestrae Religionis jurisque jurandi facile esse patiemini L. Lucejum sanctissimum hominem & gravissimum testem, qui tantum facinus in famam atque fortunas suas, neque non audisset illatum à Caelio, neque neglexisset, neque tulisset. An ille vir illa humanitate praeditus, illis studiis, artibus, atque doctrina, illius ipsius periculum, quem propter hac ipsa studia diligit, negligere potuisset? & quod facinus in alienum hominem illatum severe acciperet, id omisisset curare in hospite? quod per ignotos actum cum comperisset, doleret, id à suis tentatum esse negligeret? quod in agris locisve publicis factum reprehenderet, id in urbe ac sua domi ceptum esse leviter ferret? quod in alicujus agrestis periculo non praetermitteret, id homo eruditus in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret?*

Et in Orat. de Provinciis Consularibus probat n. 2. sibi acrius laeso jus fuisse majus Pisonem & Gabinium notandi, quam Servilio fuisset carpenti utrumque propter leviolem injuriam.

Habes similia argumenta petita à Minori ad Majus, pro Cæcina n. 45. pro Plancio n. 26. 3. Catil. n. 24. & 25. in Pisonem, n. 18. pro Milone n. 80. pro Cluentio n. 32.

Quomodo fit argumentum à pari, quando pariter probabile ex pariter probabili colligitur; v. g. Beati omnes innocentia vitae, virtutis exercitatione, laborum tolerantia ad gloriam aeternam pervenerunt, & nos oportet eisdem gradibus ad eandem gloriam ascendere.

Habes illius Loci exempla apud Ciceronem illustria. Pro Sylla n. 48. *Neque vero, quid mihi irascere, cum ab aratro arcescebantur, qui intelligere possunt. Si quod eum defen-*

*do, quem tu accusas; cur tibi quoque non succenses, qui accuses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum: & amicum ego defendo meum. Non debes quemquam in conjugationis quaestione defendere; imò, nemo magis eum, de quo nihil est suspicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit.*

Ibid. n. 4. probat à pari, se non esse reprehendum quod Syllam defendat, qui ab Hortensio aliisque viris clarissimis defensus fuerit. *Ista conjuratio si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi: quem cum videas honore hoc, auctoritate, virtute, consilio praeditum non dubitasse, quin innocentem P. Syllam defenderet: quæro, cur, qui aditus Hortensio ad causam patuerit, mihi interclusus esse debuerit? Quæro illud etiam, si me, qui defendo, reprehendum putas esse, quid tandem existimes de his summis viris & clarissimis civibus, quorum studio & dignitate celebrari hoc iudicium & ornari, causam defendi hujus innocentis vides? . . . n. 7. Quamobrem quid est quod mirere, si, cum eisdem me in hac causa vides adesse, cum quibus in ceteris intelligis absuisse? Nisi verò me unum vis ferum praeter ceteros, me asperum, me inhumanum existimari, me singulari immanitate & crudelitate praeditum.*

Philippica 5 n. 25. probat Antonium eodem debere haberi loco, quo Annibalem, quia tam hostiliter egit quam Annibal.

Et pro Roscio Amer. n. 50. probat non esse probro vertendum Roscio, quod subigendæ terræ operam dederit; quia multi alii opibus & dignitate praestantes idem fecerint. *Ne tu Erusci accusator ridiculus esses, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcescebantur, qui Consules fierent. Etenim qui praefse agro*

agro

agro flagitium putes, profecto illum *Attilium*, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, conveniunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule *Majores nostri* longè aliter & de illo, & de ceteris talibus viris judicabant: suos enim agros studiosè colebant, non alienos cupidè appetebant, &c.

Pro *Murana* n. 31. bellum *Mithridaticum*, quod consilio armisque promoverat, à paribus bellis exornat.

Ibidem n. 35. probat nullo *Murana* detrimento vertendum, quòd *Murana* prior *Sulpitius* in petitione *Præturæ* renunciatus fuisset.

*Catilinaria* I. n. 17. probat *Catilinæ* ex urbe discedendum esse, quia pati omnium bonorum judicio damnatus est. Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? *Servi*, mehercule, mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem; tu tibi urbem non arbitraris? Et, si me meis civibus injuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium, quam infestis omnium oculis conspici mallet. Tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas omnium odium justum, & jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum presentiamque vitare? si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquò concederes. Nunc te patria, qua communis est omnium nostrum parens odit ac metuit, & jam diu te nihil judicat nisi de parricidio cogitare, tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere, neque vim perimesces?

## EXERCITATIO.

*Simon* Judæorum Dux & Sacerdos ad *Commilitones* suos, de vindicanda *Fratris sui* *Jonathæ* ipsiusque liberorum morte, quos *Tryphon* accepto redemptionis pretio per fraudem malam interfecerat.

Locus à Comparatione.

## SYNOPSIS.

*Exord.* A Minori ad majus dicit facturum se injuriam ipsorum cum fortitudini tum grato animo, si longiori Oratione cohortandos ipsos putaret, ad vindicandam illius mortem, qui dux ipsorum & custos Religionis tam multa pro tuenda ipsorum Religione & salute suscepisset.

*Propositio.* Continet brevem rei gestæ narrationem: exponetque, ut *Tryphonis* fraude interierit *Jonathæ*, postquam pro ipso, ipsiusque liberis pacta pecunia perlocuta fuisset.

*Confirmatio.* A comparatione ducta à majori ad minus, jubet ipsos meminisse, quantam majores ipsorum in suis contra *Barbaros* bellis fortitudinem exhibuissent, quoties pro Religione veri Numinis decertarent; non licere ipsis ab antiqua virtute esse degeneres. Admonebit causam *Jonathæ* cum ipsius Dei causa esse conjunctam; neque occisum fuisse *Jonatham*, nisi in odium veri Numinis.

Deinde per Comparationem à Simili, dicit par ipsis expectandum esse à Deo præsidium illi, quod jam paribus in præliis pro ipsius causa susceptis experti essent, si idem studium, eundem ardorem præ se ferrent.

*Conclusio* fiet per *Anacephaleosim* rerum jam dictarum, cum valida cohortatione ad rem strenuè gerendam.

## ORATIO.

Facerem ego vestræ fortitudini injuriam, aut certè de vestro in *Jonatham* animo viderer iniquus estimare, *Commilitones* amantissimi; si, dum illatum tanto viro funestissimam

A Majori  
ad minus.

simæ mortis dedecus ac probum paramus vindicare, longiori vos oratione ad rem viriliter gerendam exhortandos putarem.

Nostis enim verò qualis & quantus viverit apud vos frater ille mihi charissimus, Dux idem vester, & sacrorum custos ac propugnator acerrimus. Meministis laborum ipsius comites ac periculis focii, quotquot estis, quàm ultro discriminis cuiuscumque aleam subierit, quàm parum fortunis capitique pepercerit, quoties aut vestra salus, aut Religionis studium reposceret. Nunc ille *Tryphonis* impij dolo ac scelere nobis ereptus, videte, quos à vobis animos ad exigendam effusi sanguinis ultionem expectet. Equidem cum interceptus hostium insidiis unà cum liberis suis *Jonathæ* *Tryphonis* in manus venisset, doluimus, ut par erat, infelicem strenui bellatoris casum, quem sua virtus in tantum periculum adduxisset; at non erat sine solatio tanti viri calamitas, & hostis avari cupiditas effrenata certam maturæ redemptionis spem afferebat. Neque verò nos sefellit improbi hominis aviditas. Redimi iniquo pretio captivos jubet: infinitam pecuniæ vim sibi mitti postulat, si salvum *Jonatham* cum ipsius liberis cuperemus. Nihil moramur; explemus hostis insanam sitim, nec parcendum auro ducimus, qui nec sanguini partitum vellemus. At quàm frustra! Auro potitur infamis prædo, & captivos obruncat! Nos inultum patemur scelus, fortissimi *Commilitones*.

Nam quo exarsisse studio legimus *Majores* nostros, si quando barbari aut pactam infregissent fidem, aut aliqua nostros homines contumelia affecissent, aut religionis nostræ sanctitatem violassent? Impatientes probri & acceptæ injuriæ usque memores

Le Jay, Tom. I.

non deponerent arma, donec hostili in sanguine probum eluissent. Nos heredes tanti nominis, & avitæ virtutis amulatores, segnes & otiosi torpesceremus, dum pacti fœderis jura despiciuntur, dum palam nobis illuditur, dum gentis decus ac caput contra fas omne perimitur, dum veri Numinis cultus ac religio impeditur? Dico impeti veri Numinis cultum ac religionem, *Commilitones*. Neque enim existimate, dum *Jonatham* ulciscimur, aut suscipi à me unam fratris charissimi defensionem, aut à vobis Imperatoris fortissimi mortem tantum vindicari. Agitur causa Dei ipsius, quem colimus; agitur honos Religionis, qua Sacerdotem suum desiderat, & sacrorum custodem acerrimum requirit: non occidisset ille ab impiis, nisi setam strenuum impietatis hostem, quàm egregium patriæ propugnatorem exhibuisset. Videte ergo, ne, cum Dei ipsius causa cum *Jonathæ* causa conjuncta sit, cum in odium *Israëliticæ* Religionis occubuerit, cum illius crimen omne fuerit divini cultus amor ac studium, videte, inquam, ne sit impium violatam tam iniqua cæde pietatem negligere & inultam pati.

Quàm erit hodie vobis honorificum, quàm gloriosum memoria *Jonathæ*, cum eodem, quo flagravitis, vero Numinis studio incensi procedetis in aciem. Quantam hæc una generosi facinoris conscientia nostris hostibus formidinem, quàm certam nobis victoriæ fiduciam afferret! Nam quis jam armis suis diffidat, quibus instructum se ab ipso Deo meminere? Nempe qui vestras olim injurias tam luculenter ultus est, non aderit hodie suas ulciscentibus? qui vos impares numero formidolosos contra exercitus decertantes suo robore confirmavit, numero

N jam,